



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Liber Apologeticus pro filiis Ludovici Imperatoris adversùs patrem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14657

*AGOBARDI LIBER
apologeticus pro filiis Ludovici Pij
Imperatoris adversus patrem.*

I. **A**VDITE hæc omnes gentes, audiat terra & plenitudo ejus à solis ortu & occasu, ab aquilone, & mari; & sciant & recogitent pariter Domni & Imperatoris Hludovvici filios justè fuisse & esse indignatos, & bene sentire & intendere ad expurgandum paternum Palatium à sordibus facinorum & iniquis factionibus, & regnum ab amarissimis & tumultuosis inquietudinibus; tantùm ut inter eos germana fides & fraterna sinceritas Deo digna & omni fideli populo beneplacita persistat, & inviolabiliter perseveret.

II. Igitur cùm prædictus Domnus & Imperator quietus esset in domo, & florens in Palatio suo, cùm adhuc juvenem conjugem sub sui reverentia custodiret, & secundùm Apostolum, uxorium debitum illi persolveret, in processu verò dierum cùm cœpissent hæc primùm tepescere, deinde frigescere, ac per hoc & mulier resolvi in lasciviam, cessantibus licitis conversa immo adversa ad illicita, adscivit sibimet aptas personas ad perpetranda turpia, & primùm latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures; ad postremum autem multitudo Palatij, & regni, ac finium terræ. quam rem inridebant minores, dolebant majores, omnes autem clari viri in-

tolerandum iudicantes. Concitati itaque sunt spiritus filiorum Imperatoris rationabili zelo, videntes maculatum stratum paternum, sordidatum Palatium, confusum regnum, & obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe. Et surgentes singuli uno & pio consensu in emundatione scelerum, conuenerunt simul; & aliis comprehensis, aliis effugatis, auctrice verò malorum exclusa à Palatio, inclusa custodiae, mutato habitu regali, induto habitu sanctimoniali, reddiderunt patrem quieti & aliquantulae honestati. Cùmque per nimiam filiorum remissionem bene acta dissoluerentur, per carnalium blandimenta & cupidorum scelestos favores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tanquam legitima Domina, revocata est in Palatium, & praelata Consiliis & Consiliariis; cujus instigationibus mutata est mens rectoris, & coepit duris cornibus ventilare filios, & conturbare populos. Sicque factum est inauditum antea mortalibus, ut non tam persecuti injustè sustinerent persecutiones, quàm persecutores inviti & coacti exercerent, & non solùm exercerent, sed & sustinerent, dum violentissimè in diversa & contraria iuramenta compelluntur.

III. Adtendite, & videte si factum est unquam huiusmodi. Iuratum est ergo Imperatori seniori, & eodem iubente iidem ipsi iuraverunt Imperatori juniori; & iterum ipso faciente, aliqui ex ipsis iuraverunt Regi fratri, & ad postremum penè omnes compulsi sunt jurare puero. Et ne ibi quidem remansit. Sed quasi nihil horum fuisset, adhuc exorta sunt iuramenta;

Numquid super his non visitabo; dicit Dominus? Hier. 5.
 & inulta remanebit despectio Dei, & pollutio nominis ejus? sicut scriptum est: *Non pejerabis, nec pollues nomen Domini Dei tui.* Levit. 19.
 Ecce, patefactis abyssis stultitiarum, ad quid perventum est? Cùm enim deberent exercitus mitti adversùs exterarum gentes, & ipse Imperator adversùs barbaras nationes dimicare, ut eas fidei subjugaret ad dilatandum terminum regni fidelium; (Sic namque orat universalis Ecclesia in solemnibus illis orationibus, diebus Passionis Dominicæ, pro Imperatoribus: *Ut Deus illis subjectas faciat barbaras nationes.*) nunc è contrario omne regnum cum extremitatibus suis conglobatur in unum in medio sui, diversa tamen intentione, dum alij parantur ad intestina viscera dirumpenda, alij ad pacandam, si fieri potest, injustissimam discordiam. qui omnes pia mente perpendere debuerant quod dicitur in prædictis orationibus, ubi sacerdos admonet, dicens: *Oremus & pro Christianissimo Imperatore nostro, ut Deus & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostram perpetuam pacem.* Domus ergo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmiteramentum veritatis, orat ut Christianissimo Imperatori barbari subiciantur, non ut subjecti conturbentur & barbarizentur. Neque enim Christianissimi Imperatoris est subjectos exturbare, & unitos dividere.

1. Timot. 3.

IV. O Domine Deus cœli ac terræ, cur permisisti fidelissimum & Christianissimum servum tuum Imperatorem nostrum in tantam devenire negligentiam, ut videre nolit quibus malis

circumdatus sit? Diligit enim odientes se, & odit diligentes se. Quid si verum est quod plerique, qui subtiliùs intelligere videntur, affirmant; quòd scilicet sint aliqui in latere ejus, qui in- hianter expectant exterminium filiorum ejus? Quod si viderint, conlatum habent inter se ut in Imperatorem mittant manum, & disper- tiant sibi regnum. Hoc utrum verum sit, ipsi norunt. Multi tamen sunt, qui non ambigunt illos, de quibus dicitur, ita incumbere regno, tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ. Vnde constat, quia nisi Deus subvenerit, aut exteris dabitur regnum, aut in multos tyrannos dispertietur, aut forsitan Antichristo, cui præ- parabitur. quod in hoc assimilatur: quoniam Imperator, qui adversùs barbarorum Reges bella justa disponere debuerat, adversùs dile- ctos sui filios injusta agere parat.

Psal. 51.

V. Dicunt etiam aliqui quòd Domina Pala- tij senioris, extra illa quæ de ejus occultis & non occultis dicuntur, ludat pueriliter, spectan- tibus etiam aliquibus de ordine sacerdotali, & plerisque concludentibus, qui (secundùm for- mam quam Apostolus scribit de eligendis Epi- scopis, dicens, *Domui suæ bene præpositum, fi- lios habentem subditos cum omni castitate; quia si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesie Dei diligentiam habebit?*) prædicare debuerant dominæ ludenti: Si qua Regina semetipsam re- gere non novit, quomodo de honestate Palatij curam habebit? aut quomodo gubernacula re- gni diligenter exercet? Reducere quoque ei ad memoriam debuerant quod supradictæ senten- tiæ congruenter aptari potest, quantum tamen
ad

1. Timot. 3.

ad exteriorem sensum pertinet, quod in alio loco sacra Scriptura dicit: *Mulier diligens, corona est viro suo; & putredo in ossibus ejus quae confusione res dignas gerit.* Et iterum: *Tecta perstillantia in die frigoris & litigiosa mulier comparantur. Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dextera sua evacuet.* Sed fortè dicturus est aliquis: Hæc non est litigiosa, sed suavis, & blanda. Quibus verbis respondendum est, non esse majus litigium, quam boni patris bonos filios irritare, exacerbare, exhonore, & penitus à patre alienare velle. quæ quia propter solam pulcritudinem à viro inofficiosè diligi fertur; inculcandum utrique fuerat quod iterum eadem Scriptura dicit: *Fallax gratia, & vana est pulcritudo. Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.*

VI. Nunc igitur omnes timentes & amantes Deum, Regem quoque & regnum, pacata societate, rebus mundi utentes, rebus divinis fruentes, omni conamine dare operam debent ut exprimatur vulnus iniquitatis, & obducatur cicatrix sanitatis, absque sanguinis effusione, absque strage interfectionis, absque amaritudine jurgiorum, absque turbulenta & foetida commixtione spirituum immundorum. Ut verè dicatur de Ecclesia hujus regni: *Hæc est domus Dei, & porta cœli. Porta autem inferi non prevalerunt adversus eam.* Et iterum: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit. Gaudebit super te in letitia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude. Nugas, qui à lege recesserant, congregabo, quia ex te erant; ut non ultra habeas super eis opprobrium. & dicat omnis*

Prov. 12.

Prov. 27.

Prov. 31.

Genes. 28.

Matth. 16.

Soph. 3.

1. Par. 16.

populus, Amen, Amen, & hymnum Deo.

VII. Sicut veritas non est tantum in dictis, sed & in factis, (Sic enim Apostolus demonstrat, dicens: *Veritatem facientes in caritate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et alius Apostolus: *Filioli, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate.* Et iterum: *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem.*) ita quoque mendacium non est tantummodo verborum, sed & factorum; sicut in Apocalypsi loquitur Dominus, dicens: *Non intrabit in eam (haud dubium quin civitatem caelestem) aliquid coinquatum, & faciens abominationem & mendacium.* Et paulo post: *Omnis qui amat & facit mendacium.* Et Dominus in Evangelio de inventore omnium malorum ait: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Si ergo illa veritas (de qua & in Psalmis cantamus: *Propè esto Domine, & omnes viae tuae veritas.*) omnium hominum mentes possideret, etiam sine rectoribus & principibus res mundi concordis societate pacatae manerent. Nunc autem quia ille qui in veritate non stetit, contra veritatem agere nunquam desinit, & dormientibus hominibus scandalorum zizania seminare non cessat, apta sibi corda satis inveniens, quae foveant & nutriant semina ejus; redundat malum commotionis, quod quietem pacis & unitatis infano furore conturbet. Propter quod sollicitè vigilandum est, & sagaciter agendum contra corruptores veritatis & pacis, lingua & manu; ut aut cohibeantur, aut comprimantur.

Eph. 4.

1. Ioa. 3.

1. Ioa. 1.

Apocal. 21.

Apoc. 22.

Ioan. 8.

Psal. 118.

VIII. Commotio itaque hujus temporis & harum regionum, quæ mira omnipotentis Dei suavitate & dulcedine sine conflictu armorum sedata est, non segniter memoranda est; sed debet corda fidelium in laudibus Dei & gratiarum actione alacriter succendere, & ad sollicitiam cautelæ sollicita reddere. Quæ commotio & conturbatio quale habuerit initium, vel originem, non est penitus reticendum. Igitur cum Christianissimus & piissimus Imperator Dominus Hludovicus bonæ conjugis fide & moribus sibi congruentis consortium amisisset, necesse fuit ut aliam sibi acciperet, quæ ei posset esset adjutrix in regimine & gubernatione Palatii & regni. Sed occulto Dei judicio talis assumpta est, quæ licet in primis annis viri & domini sui virtute & potestate pressa, subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inventa est, quæ magnorum fluctuum commotio, & conturbationis largus thesaurus esse posset; quæ non solum plebes, ac populos, sive Principes, verum etiam elegantissimos filios Imperatoris, etiam conjugatos, & gubernacula regnorum possidentes, affligeret, contristaret, & conturbaret, & penè attereret & exterminaret. Cumque talibus incrementis viderent hi quibus curæ erat de statu & honore regni, ac tranquillitate pacis, & quiete populi, dehonestari Palatium, obscurari claritatem regni, & ad ignominiam deduci nomen regnantium, cœperunt queri, & murmurare, ac dolere, & deplorare. Inter hæc concitati sunt spiritus virorum honoratorum, & filiorum Regis; & crescente conludio, accedente etiam consilio, convenerunt

singuli de loco suo, & conjuncti ad Palatium; effugaverunt ministros sceleris; & Reginam, quæ totius mali causa erat, excluderunt de domo & honore regni, & constituerunt in retrusionem exilij; ac deinceps quasi jam liberatum bonum patrem de laqueo ruinæ, gaudebant se impleffe quod inscriptum est: *Ejice derisorem, & exhibit cum eo jurgium, cessabuntque causa, & contumelia.* Hoc tam inreprehensibile factum & omni laude dignissimum cum compleffent filij, redierunt ad sua, restituito patre honori & gloriæ suæ.

Prov. 22.

IX. His ita transactis, inimicus omnis boni, auctórque omnis mali, qui non reliquerat corda possessa, sategit instaurare & redintegrare malum suum; & Regina (quæ mutato habitu regali putabatur perdurare in habitu sanctimoniali, sicut ordo posebat, & reëctitudo judicij docebat) reducta est in Palatium, & assumpta in consortium quasi legitima conjux, quod esse jam nullatenus poterat. Conlocata itaque turpiter & indecenter in fastigio regali, prius malum auxit, & multiplicavit. Ad quod bonus filius quid agere debuit? Numquid dissimulare? Numquid silere? Numquid quiescere? Non ita placuit illi indormitabili oculo, qui custodit Israël suum; sed suscitavit spiritus filiorum, & convenerunt iterum ad succindendam recidivam malorum stirpem. Timebant enim ne patri eveniret illud quod de quodam Rege Scriptura sancta loquitur, dicens: *Igitur non fuit altertalis ut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini. Concitavit enim eum Iezabel uxor sua, & abominabilis factus est.*

3. Reg. 21.

X. Sed fortè aliquis diversæ voluntatis homo amovere nitatur hæc verba Scripturæ sanctæ, tanquam inconvenientia, eò quòd sequatur, *in tantum, ut sequeretur idola Amorrhæorum*. Noverit quisquis ille est, non posse evacuari congruentiam eorum in hoc loco. Quoniam tempore legis in veteri populo idola & simulacra significabant omnes errores in novo populo, tempore videlicet Gratia. Nam & ipse ordo horum verborum ita intelligendus est: Abominabilis factus est diversis cupiditatibus & inlecebris, ut etiam evidenter ad cultum rueret idolorum. Quisquis autem aliter hîc sentire vult, penset qualiter contradicat Apostolo dicenti: *Et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus*; & videat quàm veraciter dictum sit: *Radix omnium est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide*. Si ergo cupiditas errare facit à fide, & avaritia simulacrorum est servitus; quod malum remanet, quod non de radice cupiditatis oriatur? Propter quod fideliter colligendum est, omnes appetitores divitiarum, gloriæ, & honoris secularis, atque primatus, quàm non longè absint ab idolorum cultura.

*Colos. 3.
1. Timot. 3.*

XI. Hæc propterea dicimus, ut ostendamus mala & bona antiquorum, malis & bonis congruenter aptari, & his qui errant in novo populo. Et quanquam Achab concitante se uxore sua erraverit à fide, & ea auctrice perpetraverit facinus illud de morte Naboth Iezrahelitæ, correptus tamen ab Helia Propheta, non correctus, compulsus est agere pœnitentiam. qua actione pœnitentiæ mala sibi imminencia distulit, non

abstulit. Hoc si rectè perpendatur, liquidò demonstrat, quantum noceant uxores malæ viris suis. Iehu autem, quem Dominus suscitavit in Regem ad puniendam domum Achab & ejus deceptricem uxorem, licet æternam vitam non promeruerit, eò quòd à peccatis Hieroboam non recesserit, quia studiosè exercuit ultiones Domini de Iezabel, & domum ejus quem illa concitaverat, concessum est ei ut filij ejus usque ad quartam generationem regnarent. Post eum beatus quoque Ioiadas & sanctus Pontifex, quia Athaliam impiissimam interfici jussit, & Ioas in folio patris collocavit, & Hierusalem a fordibus & immunditiis purgavit, tali eum laude exornat Scriptura divina, dicens: *Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est cum centum triginta esset annorum; sepelieruntque eum in civitate David cum Regibus, eò quòd fecisset bonum cum Israël, & cum domo ejus.* Ecce iste pius Sacerdos, & temporali & æterna retributione remuneratus est; Iehu autem tantum temporali.

XII. Videamus quoque quid Samson contigerit, quem Apostolus in catalogo virorum justorum enumerat. Amavit itaque mulierem non amantem se; quæ plus obtemperavit inimicis ejus, quàm amico amanti se. Et quia ille vir justus credidit mulieri infideli, ideo & lumen oculorum amisit, & ducatum Israëliticæ gentis perdidit. Cui licet postea restituta sit virtus pristina, & ignominiosam vitam gloriosa morte finierit; æterna quidem vita non caruit, tamen ducatum pristinum non recuperavit. Sic ergo dignetur Dominus dudum Imperator piè

4. Reg. 9.

4. Reg. 11.

2. Par. 24.

Hebr. 11.

perpendere, ut cœleste & sempiternum regnum non perdat; qui deceptus à muliere, terrenum & temporale amisit. Cedat divinis. judiciis, quia nihil in terra sine causa. Voveat & reddat Domino Deo terribili, & ei qui aufert spiritum Principum. Bonorum enim Regum est dicere: *Semper quasi timentes super me fluctus timui Deum.* Hæc dixit beatus Iob: qui conanti se decipere uxori suæ non consensit, sed rigida invectione redarguit dicens: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es,* qui & in alio loco de Deo dicit: *Apud ipsum est fortitudo & sapientia. Ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur.* Et: *Baltheum Regum dissolvit, & praeingit fune renes eorum.* Et iterum: *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos ut frustra incedant per invium.* quod & ipsi beato Iob contingeret, si suasionem uxoris suæ libenter audisset. Ideo ergo terribilis Dominus, non tantum populis terræ, sed & ipsis principibus populi. de quo quidam Rex superbus & humiliatus confiteretur coactus dicens: *Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi: quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, Quare fecisti?* Et post pauca: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cœli: quia omnia opera eius vera, & via eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.*

Psalm. 75.

Iob. 31.

Iob. 2.

Iob. 12.

Dan. 4.

XIII. Neq; ullo modo hæc idcirco dicimus; ut Domnum quondam nostrum Imperatorem impiis & infidelibus Regibus comparemus. Sed quia permisit se à muliere iniqua decipi, con-
 rigit illi quod scriptum est: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* Per quam conturbationem, & ventorum possessionem, perpetrata sunt innumerabilia perjuria, & deprædationes immensæ, cum homicidiis, adulteriis, & incestis. pro quibus omnibus pœnitentiis necessarium est religiosissimo quondam Imperatori, ut redeat ad cor suum, agâtque pœnitentiam, humiliatus sub potenti manu Dei, cui non est impossibile tribuere illi exaltationem æternæ vitæ: quia exaltatio temporalis vitæ iam non congruit illi, qui conturbata domo & mente, divina dispensatione & iudicio cessit alteri, & locum dedit non cuilibet inimico aut extraneo, sed carissimo filio. Propter quod in omni iucunditate & exultatione cordis sui summas gratiarum actiones summo omnipotenti Deo indefinenter persolvere debet; quia, sicut semper opravit, non successit illi in regnum inimicus expugnator, sed filius amator. Nunc ergo audiant omnes in commune tumultuosi & quieti Prophetam dicentem: *Sileat omnis terra à facie Domini.* & Psalmistam: *Timent Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt, & cetera.*

Prov. 11.

1. Petr. 5.

Psal. 32.

Zachar. 2.

